



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 691/15/I

BEATISSIME PATER,

Ioannes Antonius Regi Plá, Episcopus Complutensis, summa cum animi devotione, in notitiam refert: die XXIII Iulii MCMXCI, per Apostolicas sub plumbo Litteras "In hac Beati Petri", a S. Ioanne Paulo Pp. II datas, territorio integro ab Archidioecesi Matritensi separato, erectam esse Dioecesim Complutensem. Quamobrem a proximo die XIII Octobris usque ad XIII Octobris MMXVI sacras peragentur functiones et varia spiritalia incepta, non solum ad Argenteum Iubilaeum Complutense celebrandum necnon ad spiritaliter parandum proximum Annum Sanctum a Sanctitate Tua indictum. Quo autem abundantius fidelibus, qui dictis celebrationibus intererunt, divinae gratiae thesaurus aperiatur, Exc.mus Orator Indulgentiae donum ad instar Iubilaei implorat. Et Deus, etc.


Die I Octobris MMXV


PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Ss.mi Patris Francisci, Complutensis Dioeceseos *Iubilarem* benigne concedit *Annum, cum adnexa plenaria Indulgentia*, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) fidelibus vere paenitentibus et caritate compulsis, lucranda, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint si, unito corde cum spiritalibus finibus Anni Misericordiae Sancti, Cathedrale Templum aliaque sanctuaria rite determinanda in forma peregrinationis inviserint et ibi sacris interfuerint ritibus vel piis exercitiis, ut in supplicibus litteris iam determinatis, vel saltem per congruum temporis spatium preces Deo effuderint pro fidelitate Regni Hispaniae ad christianam vocationem, pro sacerdotalibus ac religiosis impetrandis vocationibus et pro defendendo humanae familiae instituto, concludendum Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque B. Mariae Virginis.

Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter *plenariam* consequi valebunt *Indulgentiam* si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi ubi primum licuerit tres consuetas condiciones, iubilare celebrationibus, coram aliqua imagine sacra, se spiritaliter adiunxerint, precibus ac doloribus suis, vel incommodis propriae vitae, misericordi Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut canonicus paenitentarius, omnes capitulares et Cathedralis Templi clerus, parochi et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant et S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti totum per Argenteum Iubilaeum Complutense valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 692/15/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, Excellentissimo ac Reverendissimo Patri Domino Ioanni Antonio Reig Plá, Episcopo Complutensi, benigne concedit ut, in Argenteo Iubilaeo Complutensi, die pro fidelium utilitate eligendo, post pontificaliter litatum Divinum Sacrificium in Cathedrali Templo, impertiat Archiepiscopis, Episcopis, Canonicis aliisque presbyteris, diaconis, religiosis omnibusque christifidelibus adstantibus, qui vere paenitentes atque caritate compulsi iisdem interfuerint sacris, **papalem Benedictionem** cum adnexa *plenaria Indulgentia*, suetis sub conditionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) lucranda.

Christifideles qui **papalem Benedictionem** devote acceperint, etsi, rationabili circumstantia, sacris ritibus physice non adfuerint, dummodo ritus ipsos, dum peraguntur, ope instrumenti televisifici vel radiophonici propagatos pia mentis intentione secuti fuerint, *plenariam Indulgentiam*, ad normam iuris, consequi valebunt.

Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die I mensis Octobris, anno Dominicae Incarnationis MMXV.

MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior

CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens